



Kem  
232 (1-28)

17

FACVLTATIS MEDICAE  
DECANVS  
**D. FRIDERICVS AVGVSTVS  
CARTHEVSER,**

*CANDIDATI PRAENOBILISSIMI*

**DN. GEORGII BARTRAMI TIMMERMANN,  
HAMBVRGENSIS,**

**SOLLEMNIA IN AVGVRALIA  
INDICIT**

**SIMVLQVE**

**DE QVIBVSDAM VINORVM ADVLTERATIONIBVS,  
SANITATI NOXIIS, QVAE ADDITAMENTIS  
MINERALIBVS PERAGVNTVR,**


**BREVITER DISSENERERE PERGIT.**

---

**GISSAE HASSORVM,**

**MDCCCLXXVII.**

---



Typis IOAN. IACOBI BRAVNII, Acad. Typogr.





§. I.

In Programmate, quod occasione Dissertationis Inauguralis Dn.  
Doct. SCHMIDT nuper in lucem emisi, adulterationes vino-  
rum, sanitati officientes, quae additamentis mineralibus per-  
aguntur, enarrare coepi, eamque materiam hoc loco ul-  
tius pertractaturus sum. Ex reliquorum mineralium, quae hu-  
i usmodi vinorum mangonisationibus impenduntur, numero pri-  
mo in medium prodeat calx viua. Veteres eadem iam ad vina  
adulteranda vsos fuisse, PLINIVS in *Hist. natural. Lib. 14. Cap. 19.*  
doct his verbis: "Africa gypso mitigat asperitatem (vinorum),  
nec non aliquibus sui partibus calcem... Et Lib. 23. Cap. 1. "Cal-  
ce condita (vina) quis non etiam validus expauerit... Eundem  
morem hodierna adhuc aetate apud Hispanos vigere, testimonio  
CHRISTOPHORI a VEGA, scriptoris Hispanici, comprobat IOANNES  
HARDVINVS in annotat. ad Plin. *Hist. nat. Lib. 14. Cap. 19.* sive  
*Sed. 24.* In insula Zacyntho (Zante), quae Venetorum domi-  
nio subiecta est, calx viua vino admisceri solet, eo quidem sco-

po, vt aetatem & translationem per mare melius ferat, memoraunte ARVIEUX in den merckwürdigen Nachrichten, Theil III. S. 318. qui & vinum huius insulae fortissimum, vini adusti fere instar, esse, eamque qualitatem ab admixta calce viua deriuari tradit. Vinis regno Tunetano indigenis calcem addi ebrietatis inducendae gratia, testatur THEVENOTVS in s. Reisebeschreib. Th. 1. Buch 2. Cap. 91. Seite 399. secundum vers. Germanic. quae Francof. ad Moen. 1693. in 4. prodiit. Verba sunt: "Niemand verkauft in Tunis Wein als die Scläven, und dieser Wein ist aus dem Tunefischen Gebiet, alwo eine Quantitaet eingesandt wird, allein ganz weiss, sie thun Kalck hinein, damit er voll mache. „ In Germania nostra adulterationem vinorum injecta calce iam olim visitatam fuisse, patet ex Reform. Polit. August. Vindelic. 1548. rubr. von den Schiff- und Fuhrleuten, ubi, citante GOTHFREDO CHRISTIANO LEISERO in Iur. Georgic. Lib. III. Cap. 20. pag. 690. sequentia leguntur: "Wo auch hinführo einiger Schiff - oder Fuhrmann, oder jemand anders, wie die Namen haben moechten, den Wein mit Kalck oder dergleichen schaedlichen Zusatz oder Einschlag bereiten und faelschen würde, der soll gleicher Weise, nach Gestalt seiner Ueberführung, an seines Ehren, Leib oder Gut haertiglich gestraft werden, und einer jeden Obrigkeit hiemit ernstlich auferlegt seyn, solchen schaedlichen Betrug fürzukommen, und die Ueberfahrer ernstlich zu strafen. „

## §. II.

Mangonifatio vinorum per calcem vario fine instituitur, mirum vel vt vina, si asperiora & acidiora sint, mitiorem saporem acquirant (\*), in quem usum veteres calce vtebantur, sicut

(\*) Ad acorem vinorum minuendum & obtundendum nonnulli loco calcis

sicut ex antea allegato PLINII loco cognoscitur; vel ut vina durabiliora & fortiora fiant, quo scopo eadem in insula Zacintho calce coniduntur, ceu ex Equitis ab ARVIEUX itinerario retuli; vel ut vina pendula, lentescentia ad se redeant & mucilaginosa eorum consistentia corrigatur atque tollatur. Vid. CONRAD. BARTHOLD. BEHRENS *Select. Dietetic.* Sect. 3. Cap. 7. §. 3. pag. 369. & HENRICI MVNDII *Oper. Medico - Physic.* pag. 328. Sed qualisunque fine haec mangonisatio suscipiatur, sanitatem nunquam non offendit. Etenim vina eiusmodi propter particulas terreas calcareas, quas in se maiori vel minori copia receperunt, non solum valde exsiccant atque excretionem aluinam turbant aut suppressimunt (qualem effectum itidem producit infusum calcis viuae aquosum, vulgo aqua calcis dictum, unde illud ad diarrhoeas

a 3

rhoeas

calcis viuae in usum vocant terras lapidesue calcareos nondum calcinationem passos, ut cretam, marmor (quod vino aut musto iniicere solebant veteres, ceu PLINIVS *Hist. nat.* aliquot locis testatur. Conf. CATO *de re rustica* Cap. 23.) putamina ouorum &c. Vid. NEVMANN *Praelect. chem.* Cap. de *Vino*, pag. 1194. Sed idem recte monet, terrea haec absorbentia iusto maiori copia non addenda esse, quoniam tunc vina facile vappescunt. Alii eundem in finem usurpant cineres clauellatos aliave salia alcalia fixa, quae cum acidio vini in sal medium (speciem terrae foliatae tartari) abeunt virtute resolvente, & aperitiua praeditum. Vid. Cel. SAGE *chem. Untersuch. verschiedner Mineralien, in d. IX. Abhandl. über die Methoden den Wein zu untersuchen*, S. 128. Vina sic medicata valediunem quidem non adeo laedunt, in primis si alcali parciori tantum dosi adiectum fuerit, sed semper magis minusue turbida manent, ut notat Cel. SAGE, & facile in vappam degenerant.

rhocas aliasque fluxiones praeter naturales tam serosas quam sanguineas cohibendas a Medicis adhibetur), verum etiam, cum particulae terreo - calcareae cum vino ad interiores corporis recessus deferantur, obstructionibus viscerum ansam praebeant, & forsan quoque, ut BEHRENS l. c. pag. 373. afferit, scabiem excitare, vel tamen ad eius genesis symbolam suam conferre possunt. Non vnicce tamen ab his partibus terreo - calcareis vino - rum calce adulteratorum noxia vis deducenda est, sed hanc ex parte efficiunt & augent particulae volatiles, acre, sulphureo-salinae, quas vina ex calce viua assumunt. Huius generis particulas calci viuae inesse extinctione eius per aquam affusam sat patescit, vt pote sub qua vapores acres morsicantes seco copiose euoluunt & in aerem assurgunt. Idem probant exhalationes sanitati inimicae, quae ex parietib. recens dealbatis ascendunt, vnde homines in cubiculis calce recens incrustatis somnum capientes cephalalgia, vertigine, praecordiorum angustia aliquisque malis afficiuntur, sicut non pauca exempla testantur. Eadem quoque moleculas ad acrimoniam illam causticam, quam lixiuia alcalica ab addita calce viua nanciscuntur, plurimum tribuere, valde probabile est. Neutquam igitur dubitari poterit, quin haec ipsae particulae vino nocuam qualitatem largiantur, & exinde ratio petenda est, cur vina calce viua adulterata ebrietatem grauiorem, temulentiam, dolores capitidis inducant atque generi neruoso officiant.

### §. III.

Calci subiungendum est gypsum, quod ex lapidibus gypscis, sicut calx ex lapidibus ac terris calcareis, per calcinationem paratur, & nihil aliud est, quam terra calcarea acido vitriolico saturata. Veteres tum ad vina conseruanda, seu ut COLVMELLA vocat, perennanda i. e. acescentiam eorum aut vappescentiam auer-

auertendam, gypsum musto adiiciebant, vti e. g. cognoscimus  
 ex COLVPELLI, *de re rustic.* Lib. 12. Cap. 20. 26. 28. tum ad miti-  
 gandam vinorum asperitatem iisdem gypsum indebant, vt AF-  
 fricanis in more erat, teste PLINIO *Hist. nat.* Lib. 14. Cap. 19.  
 tum etiam, vt ex vino molli forte fieret, gypsi additamento  
 vtebantur, ceu PALLADIUS *de re rustic.* Lib. 11. Tit. 14. docet.  
 Mos iste gypso vina fucandi recentiori aetate nondum exoleuit.  
 Hispanos enim vina quaedam etiamnum gypso condire, CHRISTO-  
 PHORI a VEGA auctoritate probat HARDVINVS in annot. ad Plinii  
*Hist. nat.* Lib. 14. Cap. 19. sive Sect. 24. quod idem & confirmat  
 BEHRENS *Select. Diaetetic.* pag. 373. In insula Archipelagi Milo  
 musto aliquam gypsi quantitatem addunt incolae, vt vina dura-  
 biliora seu firmitora evadant, testante ARVIEUX in den merckwür-  
 digen Nachrichten, Theil IV. Seite 273. Quod gypsum ad vinorum  
 conseruationem utilitatis aliquid praebere possit, haud quidem  
 inficiabor; sed vina talia particulis gypseis impregnata damno  
 vacare & sine valetudinis laesione potari posse minime credo.  
 Habet enim gypsum vim quandam nociuam adstrictroriam &  
 strangulatoriam, quam veteres etiam haud ignorabant. Sic DIO-  
 SCORIDES *de Mater. med.* Lib. 5. Cap. 134. gypsum vim stypticam,  
 fluxiones sanguinis & sudores cohibentem (δινεμενος συττικην, αι-  
 μοφραγιας τε και ιδεωτων εφεντην) tribuit, illudque potum stran-  
 gulando necare scribit (ποθεσα πνιγει τῷ κατα πνιγμον τροπω).  
 Hinc & gypsum tum a DIOSCORIDE (vid. ei. *Lib. de Venenis*,  
 qui etiam *Alexipharmacata* inscribitur, Cap. 24,) tum ab aliis scri-  
 ptoribus antiquis inter venena numeratur. Particulae gypseae  
 in vini largiori quantitate solutae & per eius massam plus minus  
 disperse non ita quidem valide agunt, quam gypsum crassiori  
 substantia intra corpus assumtum, incommodi tamen nequitquam  
 expettes sunt, sed vina iisdem impregnata constipationi alui,  
 dysuria, viscerumque obstructionibus occasionem dare utique  
 possunt. Vinum gypsatum sanitati damnum afferre DIOSCORIDES  
 iam

iam bene perspexit, & quae ille de vini talis prauis effectibus in *Mater. med. Lib. 5. Cap. 9.* perhibet, si non in vniuersum, tamen quoad partem vera sunt: “*ὅ δε την γυψον εχων (scil. oinos) ναυκτικος των γενεσων, καρποβαρινος, πυρωδης, κυρτει αθετος.*”

## §. IV.

Vinis lentescentibus atque pendulis nonnulli alumen vsum adiiciunt, vt illa aliquatenus ad se redeant & mucilaginosa illorum consistentia tollatur, vti referunt HENRICVS MVNDIVS *Oper. Medico - Physic.* pag. 328. & BEHRENS *Select. Diaetic.* pag. 369. Ad vina quoque turbida clariora reddenda (\*) alumen cum sacharo usurpari IOH. BAVHINVS *Hist. plant. Lib. 18.* p. 536. docet & ex eo tradit BEHRENS *I. c. p. 350.* Quod autem vina hoc

(\*) Ad claritatem vinis turbidis conciliandam vulgo adhibent oenopola solutionem ichthyocollae, vtpote cuius partibus gelatinosis & viscosis moleculae tartareo - terreae aut facculentae vino innataentes & sic turbiditatem efficientes, implicantur, ac eum iisdem sensim & lente ad fundum descendunt, quo facto vinum limpidum redditur. Haec encheiresis sub certa conditione sanitati obesse nequit, si scilicet vina non prius ex dolis in lagenas transfunduntur ac bibuntur, quam partes illae impuriae cum ichthyocolla, cui inuolutae sunt, perfecte praeципitatae & vina debitam claritatein adepta fuerint: Ast si vina ante perfectum partium illarum secessum depromuntur & potantur, valetudinem omnino laedunt ac varia incommoda pariunt, tum ob ichthyocollam, quae tenacitate sua & crassitie ventriculo molesta est, tum ob ipsas particulas tartareo - terreas aut facculentas, similes in corpus introductas.

hoc modo emendata sanitati conducant, nemo, cui aluminis natura & vis cognita est, affirmare poterit. Alumen enim ad mineralia adstringentia seu styptica validiora pertinet, ac interne adhibitum forti fibrarum constrictione varia damna produce-re valet, vnde & Medici tutam medendi methodum sequentes ab interno salis huius styptici vsu vel plane abstinent, vel eodem nonnisi caute & circumspecte in morbis quibusdam adstringentia potentiora desiderantibus vtuntur. Ad vina aluminata quod attinet, illa vias vrinarias & intestina constringendo diuresin & excretionem aluinam turbare ac impedire, spasmos primarum viarum, vt colicam & cardialgiam, excitare, viscerumque infimi ventris obstructionibus occasionem ministrare posse (\*)

b quili-

(\*) In Italia quondam ad vina condienda & conseruanda in vsu erat puluis quidam ex alumine & sale visto paratus, & pulueris Cy-  
prii seu de Cypro nomine insignitus, cuius mentio fit in Itali cu-  
iisdam IOH. ANTONII LODETTI *Dialogo de fraudibus pharmacopoeo-  
rum nonnullorum, latinitate donato & ex museo THOMAE BARTH-  
LINI edito*, qui vna cum LISSETI BENANCII *Declaratione fraudum  
& errorum apud pharmacopoeos commissorum, Francofurtri in 8. fine  
designatione anni prodiit*. In hoc dialogo pag. 156. de vini pulue-  
re isto Cyprio infecti noxa, forsai paulo ιπερθεοικως, ita iudica-  
tur: "Omnes qui bibunt istud vinum conditum isto puluere,  
sentiunt subito dolorem capit is, & vertiginem, vt videantur in-  
ebriati. Sentiunt praeterea stomachi turbas, capit is inflammatio-  
nes, in facie, in pectore. Haec conditura pungit corpus, obstruit  
omnes vias, praesertim vrinarias: & beati sunt qui abstinent his  
vini conditis, quae salubria multum non sunt, sed illis pessima,  
qui difficultate vrinae laborant & dolore renum.,,

quilibet rerum medicarum peritus fatebitur. Ceterum facili experimento indagari potest, an vino cuidam alumen insit. Etenim si vino, in quo aliqua aluminis portio soluta est, solutio cinerum clauellatorum saturata instillatur, illud statim lactescit & puluerem album dimittit, qui nihil aliud est, quam terra aluminis per sal alcali fixum defecta, utpote quod cum acido aluminis vitriolico sese coniungit eoque ipso terram aluminis alcaliam liberam reddit atque pulueris albi forma praecipitat (\*). Aliter sese habet vinum e. g. Rhenanum purum nulloque alumine impraeognatum. Hoc enim affusa solutione cinerum clauellatorum alteriusue salis alcalici fixi saturata illico colorem fuscum - rubrum induit, ita ut simul aliquid pulueris fusci ad fundum secedat,

### §. V.

Vina flava seu, vt vulgo vocantur, alba, in primis recentiora, vt melius conseruentur nec in vappam degenerent, ab oenopolis sulphurari, nota res est. Nimirum dolia noua aut vacua, antequam vinum iis infunditur, fumo sulphuris accensi (plerumque fila aut taenias lineas sulphure liquefacto obductas in hunc finem adhibent) impraeognantur ac postea vino replentur, vel dolia ad aliquod spatium evacuata sulphuris fumo imbuuntur. Prius das Einbrennen, posterius das Aufbrennen nuncupant. Sulphuratio haec, qua vina vapores sulphuris mineralis acido - inflammabiles imbibunt, utique impedit, quo minus eadem

(\*) Affuso spiritu vitrioli terra aluminis praecipitata rursus cum effervescentia soluitur ac soluta manet, & vinum claritatem recuperat. Hac in re terra aluminis discrepat a terra calcarea, quae pariter ab acido vitriolico cum effervescentia soluitur, sed cum eodem in terram gypsum abiens, mox pulueris forma iterum delabitur.

eadem vappescant, eorum quoque claritatem promouet, ac, si moderata sit seu parcior tantum sulphuris copia recipiatur, sa- nitatem non adeo notabiliter offendit. Ast si maior sulphuris quantitas in vsum trahatur & vina igitur nimio vapore sulphuri- ris impraegnentur (\*), valetudo inde omnino detrimentum ca- pit, siquidem eiusmodi vina caput infestant, temulentiam & ce- phalalgiam inducent, neruos laedunt, ceu experientia docet & ex vi expansiua spiritus illius sulphurei intelligi potest. Maius adhuc damnum patitur valetudo, si, quorundam oe- nopolarum more, sulphuri bismuthio iungitur, dum scilicet taeniae sulphuratae bismuthio in puluerem redacto conspersae & tectae in vsum vocantur. Vid. praeter alios libros SACHSII *Ampelo- graph.* pag. 164. BEHRENS *Select.* *Diaetet.* pag. 371. IOH. RV- DOLPH. CAMERARII *Memorabil. Med. Centur. VIII. Partic. 23.* Non solum enim vapores, in quos bismuthum igne resoluitur, per se noxii sunt, sed etiam semimetalum istud non raro par- ticulas arsenicales secum dicit, vnde non mirandum est, si vina hoc artificio mangonifata colicas & conuulsiones excitent. Vid. *Ephemerid. Acad. Nat. Curios. Decur. I. Ann. 2. Obs. 39.* (IOH.

b 2

IACOBI

(\*) Vinum nimio suffitu sulphureo temeratum esse, patescit instillata solutione argenti in aqua forti, vnde vinum colore fuscum aut subnigrum adipiscitur, sicut recte notatur in *Pharmacop. Danic.* pag. 101. Eidem docimasiae inferuit solutio plumbi cum aqua forti vel aceto parata, vtpote quae vino largius sulphurato instillata illlico colore fuscum aut nigricantem producit. Memorati co- lores exoriuntur, dum moleculae sulphuris particulis argenti vel plumbi soluti adhaerescent, sicut ex aliis experimentis cum solu- tione sulphuris & solutione argenti ac plumbi susceptis satis no- tum est.

JACOBI WEPFERI), pag. 70. & Decur. III. Ann. 5. & 6. Obs. 261.  
(SALOMON. REISELII) pag. 601. seq.

## §. VI.

Cum nimia vinorum sulphuratio valetudini noceat, utile sane esset, si a principibus & magistratibus publica lege sulphuris pondus, ad certam vini quantitatem adhibendum, oenopolis praeciperetur; id quod factum est e. g. in *Reform. Polit. August. Vindelic.* 1548. ubi rubr. von Satzung ueber die Weine (citate LEISERO in *Iur. Georgic.* pag. 690.) sequentia extant: "ob jemand's, wer der waere, in dem Ablassen, um Beständigkeit willen des Weins, sein Fass mit einem Schwefel zubereiten wollte, das soll er zu thun Macht haben, doch einen Wein einmahl und nicht mehr, auch nicht anders, denn zu Bereitung eines Füderichen ein Loth lauter Schwefels, „(\*) Melius tam adhuc & satius esset, si in locum sulphuris mineralis accessi substitueretur acidum vitriolicum concentratum, siquidem exigua quantitas olei vitrioli sat magnae vini portioni indita eandem plane, quam sulphuris vapor, utilitatem praefstat, ita, vt vinum non solum diu conseruetur, verum etiam vino turbido & vappescenti pelluciditas inde restituatur. Sanitas autem hoc

addi-

(\*) Eadem sulphuris proportio iam antea praescripta est in *Recessu Imper. Rotenburgensi ad Tubarim* A. 1487. (zu Bereitung eines füderigen Fass ain Lot lawters Swebels on allen Zusatz zu nehmen). It. in *Ordinatione Maximiliani ueber die Weine, in comitiis Friburgensisibus* A. 1498. data. *Recessus ille & ordinatio haec legi potest in IOH. PHILIPPI DATT, Iurisconsulti Würzbergici, Volumine rerum Germanicarum nono sua de Pace Imperii publica Lib. III, Cap. XIV. fol. 633. 635.*

additamento nullum prorsus detrimentum capit, vnde hic vīna conseruandi modus meritis laudibus celebratur ab HVMMELIO in *Tractat. de arthritide tartarea & scorbutica p. 42.* cuius verba  
huc transcribere placet: “Acidum sulphuris accensi iam a multis seculis ad conseruanda ab ulteriore fermentatione & vaporescentia vīna adhiberi consueisse, notum est, cuius loco, si aliquid olei vitrioli probe vīno commisceas, non tantum idem praestabis, sed & vīna ab odore ingrato, & fumo caput petente, quae sulphur accensum inducit, simul immunia praestabis. — — — Sic & vīna pendula huius admixtione illoco restituuntur, immo ipsa aceta, ne in mucorem & coagulum aheant, praeferuantur, & ipsa vīna dulcia, quae in Hollandia a fermentatione tueri & ita bibere moris est, nullo alio artificio melius in desiderato statu conseruantur, quam admixto iis acido vitrioli, quod non tantum eorum dulcedinem non imminuit, sed & augeret, & vīna generofiora praestat.”

Hae fuerunt reliquae potiores vīnorū mangonisationes, sanitati perniciose, quae additamentis mineralibus instituuntur. Iam muneris mei ratio postulat, ut publice significem sollemnia inauguralia Candidati doctissimi, Dn. TIMMERMANNI, Hamburgensis, qui per aliquot annorum spatum in alma hac Ludoviciana commoratus scientiam salutarem eximia diligentia coluit. Quibus ille magistris usus sit, sequens vitae curriculum, ab ipso Facultati Medicea exhibutum, docebit:

Ego GEORGIVS BARTRAMVS TIMMERMANNVS  
Hamburgi Ao. MDCCXLV. die XVII. Iunii ex Pa-  
tre iam demortuo CHRISTIANO LVDOLFO TIM-  
MERMANNO & Matre adhuc superflite MARGA-

b 3

RETHA

RETHA CICILIA ex stirpe BORGESTIANA, natus sum. Praeceptoribus domesticis vsque ad ann. aetatis XII. instructus sum, postea Illustre Iohanneum Hamburgense frequentaui, & ibidem linguis caeterisque disciplinis humanioribus operam dedi. Ex classibus exemptus in Illustre Gymnasium Altonauiense receptus sum, & ex ore Celeberrimi Professoris MATERNI Physiologiam, Anatomiam atque Botanicam magno cum emolumento hausi. Sed tunc cupiditate proficisciendi captus naue quadam bataua ad Indiam orientalem profectus sum, & in vrbe Bataua per decem annos habitaui, & quamvis mercaturam aliquamdiu exercuerim, attamen occasione data, botanicae atque medicinae orientalium diligentissime studui. Ante aliquot annos in patriam reuersus, hanc Illustrem Academiam petii & ab Excellentissimo Dom. Professore SCHVLTZIO, tunc fasces academicos gerente, numero ciuium academicorum adscriptus sum. In doctrina Pathologie, Therapiae atque Diaeteticae Celeberrimum atque Experientissimum Dominum Professorem BAVMERVM praceptorem accuratissimum fidelissimumque habui. Celeberrimus atque Experientissimus Dom.

Dom. CARTHEVSER Physicam dogmatico - experientalem, botanicam, materiam medicam & formulæ præscribendi methodum, magna cum diligentia me docuit. Virum Celeberrimum atque Experientissimum Dom. Professorem NEBEL præceptorem etiam veneratus sum, & ex eius Praelectionibus tam publicis quam priuatis, in Therapiam, Chirurgiam, atque artem obstetriciam, maximum studiorum meorum incrementum nactus sum. Tandem etiam Viri Celeberrimi atque Experientissimi Dom. Professoris DIETZII Praelectionibus physiologicis, pathologicis atque anatomicis, publicis atque priuatis, adfui. Dum autem res domesticae finem studiorum meorum academicorum desiderant, Vobis, Viri Celeberrimi atque Experientissimi Fautores atque Præceptores quam maxime venerandi, pro magna benevolentia atque amicitia, qua me honorauitistis, maximas gratias ago, & simul a Vobis peto, ut ad consueta examina me admittatis; quo iis rite peractis, dissertationem inauguralem conscribere, atque ab Illustri Senatu Academicо summos in Medicina honores petere, mihi liceat.

Ad

Ad examina admissus Dn. Candidatus suam in arte salutari pēritiam sufficienter probauit, quapropter illi facultas Dissertationem Inauguralem conscribendi ac defendendi data fuit. Hanc de *Emphysemate artificiali* proprio marte elaboratam d. XV. Maii ad obtainendam Doctoris Medici dignitatem publice defendet. Cui actui academico sollemni vt interesse dignentur MAGNIFICVS DN. RECTOR, MAGNIFICVS DN. PROCANCELLARIVS, ILLVSTRISSIMVS DN. COMES, EXCELLENTISSIMI AC CELEBERRIMI ACADEMIAE PROCERES, aliquie Musarum PATRONI ac FAVTORES, vt & ORNATISSIMI DN. COMMITITONES, ea, qua decet, obseruantia & huimanitate rogo.

Dab. in ACAD. LVDOV. d. VI. Maii MDCCCLXXVII.



VB 18

PIC 7



D

17

FACVLTATIS MEDICAE  
DECANVS  
**D. FRIDERICVS AVGVSTVS  
CARTHEVSER,**

CANDIDATI PRAENOBILISSIMI

DN. GEORGII BARTRAMI TIMMERMANN  
HAMBV

SOLLEMNIA

IND

SIM V

DE QVIBVSDAM VINOR

SANITATI NOXIIS,

MINERALIBVS

BREVITER DIS

GISSAE

MDCC

Typis IOAN. IACOBI

